

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio XXXIX: Pro C. Rabirio Postumo

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)



P. B.

PRO C. RABIRIO POSTUMO.

ORATIO XXXIX.



SI quis est, indices, qui C. Rabirium, quod
sue fortunæ fundatas præsertim, atque opti-
me constitutas opes potestati regie, libidi-
nique comiserit, reprehendendum putet:
adscribat ad iudicium suum non modo meam, sed huius
etiam ipsius, qui commisit, sententiam. neque enim cuiquã
eius consilium uehementius, quam ipsi displicet, quãquam
hoc plerumque facimus, ut consilia euentis ponderemus;
& cui bene quid processerit, multum illum prouidisse: cui
secus, nihil sensisse dicamus. Si exstitisset in rege fides, ni-
hil sapientius Postumo: quia sefellit rex, nihil hoc amen-
tius dicitur: ut iam nihil esse uideatur, nisi diuinare, sa-
pientis. Sed tamẽ, si quis est, indices, qui illam Postumi sue
inanem spem, siue inconsultam rationem, siue (ut grauissi-
mo uerbo utar) temeritatem uituperandam putet; ego
eius opinionioni non repugno: illud tamen deprecor, ut, cum
ab ipsa fortuna crudelissime uideat huius cõsilia esse mul-
tata, nequid ad eas ruinas, quibus hic oppressus est, addẽ-
dum acerbitalis putet. Satis est, homines imprudentia la-
psos non erigere: uigere uero iacentes, aut præcipitantes
impellere, certe est inhumanũ: præsertim, indices, cũ sit hoc
generi hominũ prope natura datũ, uti qua in familia laus
aliqua

aliqua forte floruerit, hanc fere, qui sunt eius stirpis, quod
 *sermo hominum ad memoriã, patrum uirtute celebratur,
 cupidissime persequatur: si quidem non modo in gloria rei
 militaris Paullum Scipio, aut Maximũ filius, sed etiam in
 deuotione uitæ, & in ipso genere mortis imitatus est P.
 Decium filius. Sint igitur similia, iudices, parua magis.
 fuit enim pueris nobis, huius pater C. Curius princeps or- P. 123.
 dinis equestris, fortissimus, & maximus publicanus: cuius
 in negotijs gerendis magnitudinem animi non tam homi-
 nes probassent, nisi in eodẽ benignitas incredibilis fuisset:
 ut in augenda re non auaritiæ prædam, sed instrumentum
 bonitati quærere uideretur. Hoc ille natus, quamuis pa-
 trem suum numquam uiderat; tamen & natura ipsa duce,
 quæ plurimum ualet, & assiduis domesticorũ sermonibus
 in paternæ culpæ similitudinem deductus est. multa gessit:
 multa contraxit: magnas partes habuit publicanorũ: cre-
 didit populis: in pluribus prouincijs eius uersata res est:
 dedit se etiam regibus: huic ipsi Alexandrino grandem iã
 ante a pecuniam credidit. nec interea locupletare amicos
 unquam suos destitit, mittere in negotium, dare partes,
 *augere, fide sustetare: quid multa? cum magnitudine ani-
 mi, tum liberalitate, uitam patris, & consuetudinem ex-
 presserat. pulsus interea regno Ptolemæus dolosis consilijs
 (ut dixit Sibylla, sensit Postumus) Romã uenit, huic egen-
 ti, & roganti hic infelix pecuniam credidit: nec tum pri-
 mum. nam regnanti crediderat absens: nec temere se cre-
 dere putabat, quod erat nemini dubium, quin is in regnum
 restitueretur a senatu populoq; Rom. In dando autem, &
 credendo processit longius: nec suam solum pecuniam cre-
 didit, sed etiam amicorum. stulte, quis negat? aut quis iam
 non admonet, quod male cecidit? bene cõsultum putares. Id

est difficile, quod cum spe magna sis ingressus, id nō exequi
 usq; ad extremum. Supplex erat rex, multa rogabat, om-
 nia pollicebatur: ut iam metuere Postumus cogereetur, ne,
 quod crediderat, perderet, si credendi constituisset modum.
 P. B. nihil autem erat illo blandius, nihil hoc benignius; ut ma-
 gis peniteret cœpisse, quam liceret desistere. Hinc primum
 exoritur crimen illud, senatum corruptum esse dicunt. O dii
 immortales: hæc est illa exoptata iudiciorū severitas? cor-
 ruptores nostri causam dicunt; nos qui corrupti sumus,
 non dicimus. Quid *ergo? senatum defendā hoc loco, iudi-
 ces? omni equidē loco debeo: ita de me est meritis ille ordo:
 sed id nec agitur hoc tempore, nec cum Postumi causa res
 ista coniuncta est. Quamquam ad sumptum itineris, ad il-
 lam magnificentiam apparatus, comitatumq; regii sus-
 peditata pecunia a Postumo est, factaq; syngraphæ sunt in
 Albano Cn. Pompeij, cum ille Roma profectus esset; et am-
 non debuit is, qui dabat, quo ille, qui accipiebat, consumi-
 ret, quaerere. non enim latroni, sed regi credidit; nec regi
 inimico populi Rom. sed ei, cuius reditum consuli datum
 senatu uidebat; nec ei regi, qui alienus ab hoc imperio esset,
 sed ei, quicum fœdus ferri in Capitolio uiderat. Quod
 creditor in culpa sit, nō qui improbe credita pecunia usus
 damnetur is, qui fabricatus gladium est, & uendidit, nō
 is, qui illo gladio ciuem aliquem interemit. Quamobrem
 neq; tu, C. Memmi, hoc facere debes, ut senatum, cuius au-
 ctoritati te ab adolescentia dedisti, in tanta infamia uer-
 sari uelis: neq; ego, id, quod non agitur, defendere. Postumi
 enim causa, quacumq; est, seiuncta a senatu est. Quod
 item a Gabinio seiunctam ostendero, certe, quod dicas ni-
 hil habebis. est enim hæc causa, QVO EA PECVNIA
 PERVENERIT, quasi quedam appendicula causæ in-
 dicat

dicata, atque dānata. Sunt lites aestimatae A. Gabino, nec
 *praedes dati, nec ex eius bonis quanta summa litium fuis- P. 124.
 set, à populo recipi, lex aequa est. Iubet lex Iulia persequi
 ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus
 sit, pervenerit. Si est hoc novum in lege Iulia, sicuti multa
 sunt severius scripta; quā in antiquis legibus, & sanctius
 iudicata: sane etiam consuetudo huius generis iudiciorum
 noua* sit. sin hoc totidem verbis translatum caput est, quot
 fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia:
 per deos immortales, quid agimus, iudices? aut quem hunc
 morem novorum iudiciorum in rempub. inducimus? Erat
 enim haec consuetudo nota vobis quidē omnibus: sed, si usus
 magister est optimus, mihi debet esse notissima. Accusavi
 de pecuniis repetundis, iudex si di. praetor quaesivi, defendi
 plurimos, nulla pars, quae aliquam facultatem* discendi
 afferre possset, non mea fuit. ita contendo, neminē umquam,
 QVO EA PECVNIA PERVENISSET, caus-
 sam dixisse, qui in aestimandis litibus appellatus non esset:
 in litibus autem nemo appellabatur, nisi ex testium di-
 ctis, aut tabulis priuatorum, aut rationibus ciuitatū. Itaq;
 in inferendis litibus adesse solebant, qui aliquid de se vere-
 bantur: & cum erant appellati, si uidebatur, statim con-
 tradicere solebant: sin eius temporis recentem inuidiam
 pertimuerat, respondebant postea. quod cum fecissent, per-
 multi saepe uicerunt. hoc uero novum est, ante hoc tempus
 omnino inauditum. in litibus Postumi nomen est nusquam.
 in litibus dico? modo nos iidem in A. Gabinium iudices se-
 distis. num quis testis Postumum appellavit? testis autem?
 num accusator? num deniq; toto illo iudicio Postumi no-
 men audistis? Non igitur reus ex ea causa, quae iudicata
 est, redundat Postumus, sed est arreptus unus eques Rom.

de pecuniis repetundis reus. quibus tabulis? qua in iudicio
 P. B. *A. Gabini* recitata non sunt. quo teste? a quo tum appel-
 latus nusquam est. qua illatione litium? in qua *Posthumi*
 mentio facta nulla est. qua lege? qua non tenetur. Hic iam
 iudices, uestri consilij res est, uestra sapientia. quid deceat
 uos, non quatum liceat uobis, spectare debetis. si enim, quid
 liceat, quaeritis: potestis tollere e ciuitate, quem uultis. ta-
 bella est, qua dat potestatem, occultat eadem libidinem,
 cuius conscientiam, nihil est, quod quisquam timeat, si non
 pertimescat suam. Vbi est igitur sapientia iudicis? in hoc,
 ut non solum quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet:
 nec, quantum sibi permissum, meminerit solum, sed etiam
 quatenus commissum sit. Datur tibi tabella iudicij, qua lege?
Julia de pecuniis repetundis. quo de reo? de equite *Rom.* At
 iste ordo lege ea non tenetur. illo, inquit, capite, quod erat
 in *Postumum*, quod in *Gabinium* iudex esses, nihil *Gabi-*
nio datum, cum in eum lites aestimarentur. at nunc audio,
 reus igitur *Postumus* est ea lege, qua non modo ipse, sed
 totus etiam ordo solutus, ac liber est. Hic ego nunc non uos
 prius implorabo, equites *Rom.* quorum ius iudicio tentat-
 tur, quam uos, senatores, quorum agitur fides in hunc or-
 dinem: qua quidem cum sepe ante, tum in hac ipsa causa
 nuper est cognita. nam cum optimo, & praestantissimo con-
 sule *Cn. Pompeio* de hac ipsa quaestione referente, exsiste-
 rent nonnullae, sed per pauca tamen acerbae sententiae, que
 censerent, ut tribuni, ut praefecti, ut scribae, ut comites om-
 nes magistratum lege hac tenerentur: uos, uos, inquam
 ipsi, & senatus sic quens restitit: & quamquam tum pro-
 pter multo uim delicta etiam ad innocentium periculum
 tempus illud exarserat; tamen, cum odium non restingue-
 retis, huic ordini ignem nouum subici non sinistis. Hoc ani-
 mo

mo igitur senatus. Quid uos, equites Romani, quid tandem P. 125
 estis acturi? Glaucia solebat, homo impurus, sed tamē ac-
 tus, populum monere, ut, cum lex aliqua recitaretur, pri-
 mum uersum attenderet: si esset dictator, consul, prator,
 magister equitū, ne laboraret, sciret nihil ad se pertinere: sin-
 autem, QVICVMQVE POST HANC LEGEM
 uideret, nequa noua quæstione alligaretur: Nūc uos, equi-
 tes Romani, uidete. scitis me optime uobis: omnia semper
 sensisse pro uobis: nihil horum sine magna cura, & summa
 caritate uestri ordinis loquor: alius alios homines, & or-
 dines, ego uos semper complexus sum. moneo, & prædico,
 integra re causasq; denuntio, omnes homines, deosq; testor:
 dum potestis, dum licet, prouidete, ne diuorem uobis con-
 dicionem statuatis, ordinisq; uestro, quā ferre possit, serpet
 hoc malum (mibi credite) longius, quam putatis. Potētis-
 simo, & nobilissimo tribuno pleb. M. Druso unam in eque-
 strem ordinem quæstionem ferenti, SI QVIS OB REM
 IUDICATAM PECVNIAM CEPISSET, aper-
 te equites Romani restiterunt. quid? hoc licere uolebant?
 minime: neq; solum hoc genus pecuniæ capiendæ turpe, sed
 etiam nefarium arbitrabantur. at tamen ita disputabant,
 eos teneri legibus oportere, qui suo iudicio essent illam con-
 dicionem uitæ secuti. Deleat amplissimus ciuitatis gra-
 dus, sella curulis, fasces, imperia, prouinciæ, sacerdotia,
 triumphus, deniq; imago ipsa ad posteritatis memoriã pro-
 dita: est simul etiam sollicitudo aliqua, & legum, & iudi-
 ciorum maior quidam metus. nos ista numquam contemp-
 simus (ita enim disputabāt) sed hanc uitam quietam, atq;
 otiosam secuti sumus. quæ quoniam honore caret, careat
 etiam molestia. Tam es tu iudex, quam ego senator ita est:
 sed in istud petiisti, ego hoc cogor. quare aut iudici mibi P. B.

non esse liceat, aut legem lege senatoria non timere. Hoc
 nos, equites Romani a patribus acceptum amitteris? mo-
 neo, ne faciatis. rapiuntur homines in hac iudicia ex omni
 non modo inuidia, sed sermone maleuolorum, nisi caueris.
 Si iam uobis nuntiaretur, in senatus sententias dici, ut his le-
 gibus teneremini, concurrendum ad curiam putaretis: si
 lex ferretur, conuolaretis ad rostra: uos senatus liberos hac
 lege esse uoluit, populus numquam alligauit: soluti huc
 conuenistis: ne costricti discedatis, cauate. nam, si Postumo
 fraudi fuerit, qui nec tribunus, nec praefectus, nec ex Italia
 comes, nec familiaris Gabiniij fuit: quonam se modo defen-
 dant posthac, qui uestri ordinis cum magistratibus nostris
 fuerint his causis implicati? Tu, inquit, Gabinium, ut re-
 gem reduceret, impulisti. Non patitur mea etiam fides de
 Gabinio grauius agere. quem enim ex tantis inimicitijs
 receptum in gratiam summo studio defenderim, hunc af-
 flictum uiolare non debeo: quocum stante si me Cn. Pompeij
 auctoritas in gratiam non reduxisset; nunc iam ipsius for-
 tuna reduceret. sed tamen, cum ita dicis. Postumi impulsu
 Gabinium profectum Alexandriam: si defensionij Gabiniij
 fidem non habes, obliuiscerisne etiam accusationis tuae? Ga-
 binij se id fecisse dicebat reip. causa, quod classem Ar-
 chelai timeret, quod mare refertum fore praedonum puta-
 ret. lege etiam id sibi licuisse dicebat. tu inimicus negas:
 ignosco, & eo magis, quod est contra illud indicatum. Re-
 deo igitur ad crimen, & accusationem tuam. Quid uoci-
 ferabare decem millia talentum Gabinio esse promissa? huc
 uidelicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, ut tu
 uis, auarissimum exoraret sestertium bis millies, & qua-
 dringentes ne magnopere contemneret. Gabinius illud
 quoque consilio fecit, fecit certe suo: quocumque mens illa
 fuit

abinij fuit. siue ille, ut ipse dicebat, gloriam, siue, ut pecuniam quaesuit: quaesuit sibi. Num Gabiniij col-
 lator negat: non ad Gabiniij, cuius id negotium
 at, sed ad P. Lentuli clarissimi uiri auctoritatem, a
 profectam, & consilio certo, & spe non dubia Ro-
 contenderat. At Dicetes fuit regius. Et quidem in
 ia etiã fuit regia: & uita eius oblata poena est. multa
 rea, qua libido regis, qua necessitas corgit ferre, per-
 quarum omnium rerum una reprehensio est, quod
 im intravit, quod potestati se regis commiserit. uerum
 erimus, stulte, quid enim stultius, quam equitem Rom.
 ic urbe, huius inquam, reip. ciuem, qua est una maxi-
 me, & fuit semper libera, uenire in eum locum, ubi parẽ-
 dum alteri, & seruiendũ sit? Sed ego in hoc tandem Postu-
 mo non ignoscam homini mediocriter docto, qui uideam
 sapientissimos homines esse lapsos? uirum unum totius
 Graecia facile doctissimum Platonem, iniquitate Dionysij
 Sicilia tyranni, cui se ille commiserat, in maximis pericu-
 lis, insidijsq; esse uersatum accepimus. Callisthenem doctũ
 hominem, comitem Magni Alexandri ab Alexãdro nece-
 tum: Demetrium & ex repub. Atheniensi, quam optime
 digesserat, & ex doctrina nobilem, & clarum, qui Phale-
 reus uocitatus est, in eodem isto Aegypti regno, aspide ad
 corpus admota, uita esse priuatum. Plane confiteor, fieri
 nihil posse dementius, quam sciẽtem in eum locum uenire,
 ubi libertatem sis perditurus. sed huius istius facti stultitiã
 maior iam superior stultitiã defendit: qua facit, ut hoc stul-
 tissimum facinus, quod in regnum uenerit, quod regi se
 commiserit, sapienter factum esse uideatur. si quidem iam
 semper stulti, quam sero sapientis est, cum stultitiã sua im-
 peditus sit, quoquo modo possit, se expedire. Quamobrem

illud maneat, & fixum sit, quod neq; moueri, neque mutari potest: in quo æqui sperasse Postumum dicunt, peccasse iniqui, ipse etiam insanisse se confitetur, quod suam, quod amicorum pecuniam regi crediderit cum tanto fortunarum suarū periculo. Hoc quidem semel suscepto, atq; cōtracto, perpetienda illa fuerunt, ut se aliquando ad suos uindicaret. Itaq; obijcias licet, quam uoles saepe, palliatum fuisse, aliqua habuisse nō Romani hominis insignia: quot es eorū quippiam dices, toties unum dices, atq; illud, temere hūc pecuniam regi credidisse; suas fortunas, atq; famā libidini regia commississe. Fecerat temere: fateor, mutari factum iam nullo modo poterat: aut pallium sumendum Alexandria, ut & Romæ togato esse liceret; aut omnes fortune abijcienda si togam retinisset. Deliciarum causa, & uoluptatis, nō modo ciues Romanos, sed & nobiles adolecentes, & quosdam etiam senatores summo loco natos, non in hortis, aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella saepe uidemus, chlamidatum illum L. Sullam imperatorem, L. uero Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Anthiocumq; deicit, non solum cum chlamide, sed etiam cum crepidis in Capitolio statuam uideris, quorum impunitas fuit non modo a iudicio, sed etiam a sermone. Facilius certe P. Rutilium Rufum necessitatis excusatio defendet; qui cum a Mithridate Mylenis oppressus esset, crudelitatem regis in togatos uestitus mutatione uitauit. Ergo ille P. Rutilius, qui documētum fuit hominibus nostris uirtutis, antiquitatis, prudentiæ, consularis homo soccos habuit, & pallium, nec uero ideo id homini tum quisquam, sed tempori assignandum putauit. Postumo crimen uestitus asferet is, in quo spes fuit, posse sese aliquando ad fortunas suas peruenire? Nam, ut uentum est Alexandriam

driam ad Auletem, iudices, hac una ratio a rege proposita Postumo est, seruanda pecunia, si curationem, & quasi dispensationem regiam suscepisset. id autem facere non poterat, nisi diæcetes: hoc enim nomine utitur, qui a rege esset constitutus. Odiosum negotium Postumo uidebatur: sed erat nulla omnino recusatio. molestum etiam nomen ipsum, sed res habebat nomen hoc apud illos, non hic imposuerat. oderat uestitum etiam illum, sed sine eo nec nomen illud poterat, nec munus tueri. Ergo aderat uis (ut ait Poeta ille noster) quæ summas frangit, infirmatq; opes. Moreretur, inquit: nam id sequitur. fecisset certe, si sine maximo dedecore, tam impeditis suis rebus, potuisset emori. Nolite igitur fortunam conuertere in culpam; neque regis iniuriam, huius crimen putare; nec consilium ex necessitate, nec uoluntatem ex uis interpretari, nisi forte eos etiam, qui in hostes, aut in pradones inciderint, si aliter quippiam coacti faciant, quam libere, ut uerandos putes. Nemo nostrum ignorat, etiam si experti non sumus, consuetudinem regiam. Regum autem sunt hæc imperia, Animaduerte, & dicto pare: & Præter rogatum * si loquare: & illa minæ, Si te secundo lumine hic offendero, moriere. Quæ non ut delectemur solum, legere, & spectare debemus: sed, ut cauere etiã & effugere discamus. At ex hoc ipso crimen exoritur. ait enim, dum Gabinio pecuniam Postumus cogeret ex decumis* imperatorum, pecuniam sibi coegisse: non intelligo, hoc quale sit: utrum accessione decumæ, ut nostri facere coactores solent,* centesima, an decessione de summa fecerit, si accessione, undecim millia talentum ad Gabinium peruenerit. at non modo abs te decem millia obiecta sunt, sed etiã ab his aestimata. Adde illud etiã: qui tandẽ cõuenit, aut tam graui onere

tributorū ad tantā pecuniam cogēdam mille talētū accep-
 sionē esse factā, aut in tāta mercede hominis, ut uis, auarifi-
 simi, mille talētū decessionē esse concessam? neque enim fuit
 Gabiniū remittere tātum de suo; nec regis, imponere tantū
 pati suis: Aderunt testes legati Alexādrini. hi nihil in Ga-
 biniū dixerūt. immo hi Gabinium laudauerūt. ubi ergo ille
 mos? ubi consuetudo iudiciorū? ubi exēpla? soletne is dicere
 in eū, qui pecuniā redēgit, qui in illū, cuius nomine ea pecu-
 nia redigeretur, non dixerit? Age, si is, qui non dixit, solet;
 etiāne is solet, qui laudauit? iisdē testibus, & quidē nō pro-
 ductis, sed dictis testium recitatis, quasi praeiudicata res ad
 has causas de ferri solet? Et ait etiā meus familiaris, & ne-
 cessarius, eandē causam Alexādrinis fuisse, cur laudaret
 Gabinium, quae mihi fuerat, cur eundem defendere. Mihi,
 C. Mēmi, causa defendendi Gabiniū fuit reconciliatio gra-
 tia, neq; me uero pēnitet mortales inimicitias, sempiternas
 amicitias habere. nam, si me inuitum putas, ne Cn. Pōpeij
 animum offenderē, defendisse; causam, & illum, & me ue-
 hementer ignoras. neq; enim Pōpeius me sua causa quid-
 quam facere uolisset inuitum; neq; ego, cui omnium ciuū
 libertas carissima fuisset, me am proiecissem. quamdiu ini-
 micissimus Gabinio fui, non amicissimus mihi non Pōpeius
 fuit: nec, postea quam illius auctoritate eam dedi ueniam,
 P. 128. quam debui, quidquam simulavi, ne cum mea perfidia illi
 etiā ipsi facerem, cui beneficium dedissem, iniuriā. nā nō
 redeūdo in gratiam cum inimico, non uiolabam Pōpeium.
 si per eū reductus, insidiosē redissem, me scilicet maxime, sed
 proxime illū quoq; fefellissem. At de me omittamus, ad
 Alexādrinos istos reuertamur. quod habent os? quā auda-
 ciam? modo, uobis inspestantibus, in iudicio Gabiniū tertio
 quoque uerbo excitabantur. negabant pecuniam Gabinio
 datam

datam. recitabitur idemidem Pompeij testimonium: re-
gem ad se scripsisse, nullam pecuniam Gabinio, nisi in rem
militarem, datam, non est, inquit, tum Alexandrinis testi-
bus creditum, quid? postea *creditum? non. quamobrem?
quia nunc aiunt, quod tum negabant, quid ergo? ista cōdicio
est testium? ut, quibus creditum non sit negantibus, iisdem
credatur dicentibus? At si verum dixerunt *tum, cum ue-
rissima fronte dixerunt, nunc mentiuntur: si tunc mentiti
sunt, doceant nos verum, quid vultis? fileant. *dicere audie-
bamus Alexandriam, nunc cognoscimus: illinc omnes pra-
estigiae, illinc, inquam, omnes fallaciae, omnia denique ab
his *mimorum argumenta nata sunt. nec mihi longius
quidquam est, iudices, quam videre hominum vultus. dixe-
runt hic modo nobiscum ad hęc subsellia, quibus superci-
liis reuolutes huic decem millium criminum? iam nostis in-
sultatam Græcorum: humeris gestum agebant tum tem-
poris, credo, caussa: nunc scilicet tempus nullum est, ubi se-
mel quis peierauerit, ei credi postea, etiamsi per plures
deos iuret, non oportet: praesertim, iudices, cum in his iudi-
ciis, ne locus quidem nouo testi soleat esse: ob eaq; caussam
iudices retineantur, qui fuerint de reo, ut his nota
sint omnia, neq; quid fingi noui possit. lites, QVO EA P. B.
PECUNIA PERVENERIT, non suis propriis iudi-
ciis, sed in reum factis condemnari solent. Itaq; si aut pra-
edes dedisset Gabinus, aut tantum ex eius bonis, quanta
summa litium fuisset, populus *recepisset: quamuis magna
ad Postumium ab eo pecunia peruenisset, non redigeretur:
ut intelligi facile possit, quod ex ea pecunia ad quem eo-
rum, qui damnatus est, peruenisse in illo primo iudicio
planum factum sit, id hoc genere iudicij redigi solere. nunc
vero quid agitur? ubi terrarum sum? aut quid tam insolēs,
tam

tam peruersum, praeposterumue dici, aut excogitari potest? Accusatur is, qui non abtulit à rege, sicut Gabinius iudicatus est, sed qui maximam regi pecuniam credidit, ergo is Gabinio dedit, qui non huic reddidit, iam cedo, cū is, qui pecuniam Postumo debuit, non huic, sed Gabinio dederit: condenato Gabinio, utrū illi eam pecuniam reddidit, an etiam nunc debet, ut habet, & celat, sunt enim, qui ita loquantur quod genus tandem est istud ostentationis, & gloriae? si nihil habuisset unquam, tamen si quaeisset, cur is dissimularet se habere, caussa non esset, qui uero duo laeta, & copiosa patrimonia accepisset, remque praetera bonis, & honestis rationibus auxisset, quid esset tandem caussa, cur existimari uellet, nihil habere? An, cū crederet inductus usuris, id agebat, ut haberet quā plurimū, posteaquam exegit, quod crediderat, ut existimaretur agere, nouum genus hoc gloriae concupiscit? Dominatus est enim, inquit, Alexādris: immo uero in superbissimo dominatu fuit: pertulit ipse custodiā: uidit in uinculis familiares suos: mors ob oculos saepe uersata est: nudus, atque egens ad extremum fugit e regno. At permutata aliquando pecunia est: ductae naues Postumi Puteolis sunt: audita, uisaeque merces, fallaces quidem, & succosae, chartis, & linteis, & uitro delatae: quibus cū multa naues referta fuissent, una non patuit parua, & arcta. Cataplus ille Puteolanus, sermo illius temporis, uelto rumque cursus, atque ostentatio, tū subinuisum apud maleuolos Postumi nomen, propter opinionē pecuniae nescio quā, aetatem unam complures aures referat istis sermonibus. Verum autem, iudices, si scire uultis, nisi C. Caesaris summa in omnes, incredibilis in hunc eadem liberalitas existisset, nos hunc Postumum iam pridem in foro non haberemus, ille onera multorum huius amicorum exceperit unus

P. 119.


quae;

quæque multi homines necessarij secundis Postumi re-
 bus descripta sustinuerunt, nunc eius afflictus fortunis uni
 uersa sustinet. Vmbra equitis Romani, & imaginem ui-
 detis, iudices, unius amici conseruatam auxilio, & fide.
 nihil huic eripi potest præter hoc simulacrum pristina
 dignitatis, quod Cæsar solus tuetur, & sustinet: quæ qui-
 dem in miserrimis rebus huic tamē tribuenda est maxima.
 Nisi uero hoc mediocri uirtute effici potest, ut tātus ille uir
 tanti ducat hunc, & afflictum præsertim, & absentem, &
 in tanta fortuna sua, ut aliena respicere magnum sit, & in
 tanta* occupatione maximarum rerum, quas gerit, atq;
 gessit, ut uel obliuisci aliorum non sit mirum, uel, si memi-
 nerit, oblitum esse facile possit probare. Multas quidem
 C. Cæsaris uirtutes, magnas, incredibilesque cognoui: sed
 sunt cetera maioribus quasi theatris propositæ, & pane po-
 pulares, castris locum capere, exercitum instruere, expu-
 gnare urbes, aciem hostium profligare, hanc uim frigorum,
 hiememq; quam nos nix huius urbis tectis sustinemus, ex- P. E.
 cipere: his ipsis diebus hostem persequi, tum cum etiam
 fera latibulis se tegant, atque omnia bella iure gentium
 conquiescant. sunt ea quidem magna: quis negat? sed ma-
 gnis excitata sunt præniis ad memoriam hominum sem-
 piternam, quo minus admirandum est, eum facere illa, qui
 immortalitatem concupiuerit. Hæc mira laus est, quæ
 non poetarum carminibus, non annalium monumentis ce-
 lebratur, sed prudentium iudicio expenditur: equitem Ro-
 ueterem amicum suum, studiosum, amantem, obseruantem
 sui non libidine, nõ turpibus impensis cupiditatum, atq; ia-
 cturis, sed experientia patrimonij amplificandi labentem,
 excepit, corruere non sinit, falsis, & sustinuit re, *fortunis,
 fide, hodieq; sustinet: nec amicum pendente corruere pa-
 titur:

titur: nec illius animi aciem^r perstringit splendor sui no-
 minis, nec mentis, quasi lumimbus officit altitudo fortuna,
 & gloria. Sint sane illa magna, quæ reuera magna sunt: de
 iudicio animi mei, ut uolet quisque sentiat. ego enim hanc
 in tantis opibus, tanta fortuna, liberalitatem in suos, me-
 moriam amicitia reliquis uirtutibus omnibus antepono.
 Quam quidem uos, iudices, in nouo genere bonitatem
 inusitatam claris, ac præpotentibus uiris non modo non
 aspernari, ac refutare, sed complecti etiam, & augere de-
 betis, & eo magis, quod uidetis hos quasi sumptos dies ad
 labefactandam illius dignitatem: ex qua illi nihil detrabi
 potest, quod non aut fortiter ferat, aut facile restituat. ami-
 cissimum hominem si honestate spoliatum audierit, nec sine
 magno dolore feret, nec id admiserit, quod posse speret re-
 cuperari. Satis multa hominibus non iniquis hæc esse de-
 bent, nimis etiam multa uobis, quos æquissimos esse confi-
 dimus. Sed, ut omnium uel suspitioni, uel maleuolentiæ, uel
 crudelitati satisfiat, occultat pecuniam Postumus, latent
 regia diuitiæ. Ecquis est ex tanto populo, qui bona C.
 Rabirij Postumi nummo sestertio sibi addici uelit? Sed
 miserum me, quanto hæc dixi cum dolore! hem, Postume,
 tunc es Curij filius, C. Rabirij iudicio, & uoluntate filius,
 natura sororis filius? tunc ille in omnes tuos liberalis? cu-
 ius multos bonitas locupletauit, qui nihil profudisti, nihil
 ullam in libidinem contulisti? tua, Postume, nummo sestertio
 à me addicuntur? O meum miserum, acerbumque præ-
 conium. At hoc etiam optat miser, ut cõdemnetur à uobis:
 ita bona ueneant, ut solidum suum cuique soluatur: nihil iam
 aliud nisi fidem curat nec uos huic, si iam obliuisci uestra
 mansuetudinis uolueritis, quidquam præterea potestis
 eripere. quod iudices, ne faciatis, oro, obtestorque uos: atque eo
 magis

P. 130.

magis, si aduētita pecunia petitur ab eo, cui sua non redditur, nam in eum, cui misericordia opitulari debeat, inuidia quaesita est. Sed iam quoniam, ut spero, fidem quam potui tibi praestiti, Postume, reddam etiā lacrymas, quas debeo, quas quidē ego tuas in meo casu plurimas uidi, uersatur ante oculos luctuosa nox meis omnibus, cum tu totum tecum tuis copijs ad me detulisti. tu comitibus, tu praesidio, tu etiam tanto pondere auri, quātum tēpus illud postulabas, discessum illum sustentasti: tu numquam meis, me absente, liberis, numquam coniugi meae defuisti. Possim excitare multos reductos testes liberalitatis tuae: quod saepe audiui patri tuo, qui id fecisset, magno adiumento iudicio capitis fuisse. sed iam omnia timeo: bonitatis ipsius inuidiam reformido. tam indicat tot hominū sctus, quā sis carus tuis; & me dolor debilitat, includitq; uocem, Vos P. B. obsecro, iudices, ut huic optimo uiro, quo nemo melior unquam fuit, nomen equitis Rom. & usuram huius lucis, & uestrum conspectum ne eripatis. hic uos aliud nihil orat, nisi ut rellis oculis hanc urbem sibi intueri, atq; in hoc foro uestigium facere liceat: quod ipsum fortuna eripuerat, nisi unius amici opes subuenissent.



PRO M. MARCEL

P. II 3.

L. O. ORATIO XI.



DIUTURNI silentij P. C. quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim uerecundia, finem hodiernus dies attulit, idemq; inuicem, quae uellem, quaeq; sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim masue-